

dunt quod dignitas naturalis non sufficiat, ac proin posteriorem tantum urgent.

II. Neque meritorie.

1. Præprimis hic observandum, quod in terminò *meriti* maxima lateat ambiguitas. Accipitur enim *meritum* vel *proprie*, vel *improprie*. *Meritum* in sensu *proprio* acceptum est *opus agentis liberi perfectum & indebitum propriis viribus præstitum, in commodum alterius, qui alter ex lege justitiæ tenetur, proportionatum stipendium dare operanti*. Impropriam *meriti* acceptionem quod attinet, negare omninò non possumus, quod hòc vocabulò antiqui etiam quidam Scriptores Ecclesiastici usi sint.
2. Distinguendum inter *meritum*, & *mercedem*. Vita æterna dicitur *merces*, Matth. V, 46. sed nullibi *meritum*. *Mercès* datur vel *secundum gratiam*, vel *secundum debitum*. Priori modò non est meritoria, sed posteriori. Et exponitur hujus distinctionis fundamentum, Rom. IV, 4.
3. Distinguendum inter *meritum de congruò & condignò*. Utrumque à nobis excluditur, magis tamen errant, qui posterius asserunt, ac proin merentur majorem etiam censuram.
4. *Meritum de congruò & de condignò* habent quædam *prædicata communia*, quædam *singularia*. Ad illa pertinet, quod utrumque debet esse actus libere elicitus, quod utrumque acceptetur ad retributionem præmii, quod inter præmium & laborem debet esse proportio. Quod verò *singularia* attinet, in meritò de congruò fundamenti loco stat *liberalitas acceptantis*, in meritò de condignò *debitum præmiantis*. Ad meritum de congruò gratia prima, ad meritum de condignò ultimus gratiæ divinæ gradus, vita æterna pertinere dicitur.
5. Distinguendum inter *meritum gehennæ*, & *vite æternæ*. Illud omninò malis operibus meritorie tribuitur. De posteriori autem h. l. quaeritur.
6. Distinguendum inter vitam æternam *ratione essentia*, & *ratione graduum consideratam*. Priori modò excluditur omnis respectus ad opera; Posteriori modò omninò verum est, quod superior gradus detur iis, qui bonis operibus vacarunt, Matth. XXV. ita tamen, ut ille gradus superior non sit proprie *promeritus*, sed *è gratiâ collatus*, cum $\chi\epsilon\omicron\sigma\delta$ aliquà ad opera. III.